



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Vita senis cuusdam habitantis in cellis Cuziba. Capvt. XXIII.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

erat. Is dies ¹ omnes ieiunans, nunquam in latius dormiebat.

1 Ecce longa antiquorum Monachorum ieiunia.

Vita senis cuiusdam habitantis in cellis

Cuziba.

CAPVT. XXIIII.

ERAT Senex quidam habitans in cellis Cuziba, de quo narrabant nobis loci eius seniores, quod dum in vico suo esset, hanc habebat consuetudinem, ut si quem vidisset in vico propter inopiam non valentem agrum suum seminare, noctu ibat, ignorante agri domino, semenque secum ferens, pauperis illius ferebat agrum. Cum autem venisset in eremum, & moraretur in cellis Cuziba, eadem miserationis faciebat opera. Ibat enim per viam, quae ducit à Iordane ad sanctam civitatem, ferens panes, & aquam. Et si quando videret aliquem lassescens, portabat onus eius, & ascendebat usque ad sanctum montem Oliueti, rursusque per eandem cum caeteris redibat viam, ferens illum oneratum usque Hierico. Vidisses senem aliquando ferentem onus ingens, sudantemque sub fasce, aliquando portantem in humeris puerulum, saepe etiam duos. Nonnunquam sedebat, viri, siue mulieris disupta calceamenta refarciens. Ferebat quippe secum quaecumque ad hoc erant necessaria. Alios portabat ea, quae ferebat aqua: alijs praebebat panes. Si quem verò inuenisset nudum, pallium, quod ferebat, dabat ei. Eratque dulcè videre senem singulis diebus laborantem. Et si quando mortuum in via

X 4

reperijs

reperiisset, expletis super eum 2 psalmis consuetis,
& orationibus, sepeliebat eum.

- 1 *Vide quanta charitate in proximū ferebatur sanctus pater, nam antiqui monachi in legis, & preceptorū Dei observatione, huius vitæ beatitudinem constituebant.*
- 2 *Ecce Christianum morem sepeliendi mortuos, cū plerūq; videlicet, & orationibus super eos dictis.*

*De fratre monasterij Cuziba, & sanctæ oblationis
verbis, necnon de abbate Ioanne.*

C A P V T. XXV.

FRATER quidam erat in cœnobio Cuziba, ut nobis Abbas Gregorius scholasticus retulit, qui sanctæ oblationis verba, ritumq; didicerat. **D**ic ergo quadam missus ut benedictiones ferret, cū iam rediret ad monasteriū, verba sanctæ oblationis, quasi versus aliquos caneret, dixit. **E**rat vero benedictiones imposuerunt Diaconi sanctæ oblationis altari. Quas cū Abbas Ioannes presbyter offerret qui postea Cæsareę Palestine Episcopus factus vidit, ut solitus erat S. Spiritus aduentum. **C**onstitit statusq; valde & cogitans nequid forte peccasset in mente, atq; ideo se Spiritus sanctus auerteret ingressus est sacrarium plorans, corruitq; in faciem suam. Apparuit autem ei Angelus Domini dicens. **Q**uoniam frater ille, qui oblationes attulit, verba sanctæ oblationis in via dixit sanctificatæ 2 iam ac perfectæ sunt. Ex tunc igitur statuit senior, ut nullus deinceps addiceret sanctæ oblationis verba, nisi qui ordinatus ad hoc esset, neque passim et quispiam diceret.

- 1 *Sancti Patres soliti erāt in sacrorum oblatione mysterium Spiritus sancti aduentum aliquo signo cognoscere.*
- 2 *Auerte quod nō nisi ex peculiari diuino privilegio hoc accidit, cū ille non esset sacerdos.*